

Q. D. B. V.
DISSERTATIO HISTORICO-IVRIDICA

1666.

DE

1756 6 7

VSVCAPIONIS STATV
SECUNDVM ORDINEM CHRONOLOGI
CVM A XII TABVLIS AD TEMPORA
IVSTINIANI

QVAM

P R A E S I D E

ANDREA FLORENTE RIVINO D
POTENTISSIMI SARMATARVM REGIS ET ELECTOR.
SAXON. CONSIL. AVLICO DIGESTI VETER. PROF.
PVBL. ORDIN. CVR. PROVINC. CONSIST. ECCLES.
ET SCABIN. ITEMQUE ORDIN. IVR. VITEMB.
ASSESSORE

D. APRIL. CIC 10CC LVI

IN AVDITORIO IC TORVM
T V E B I T V R
AVCTOR DEFENSVRVS

AVGVSTVS GOTTHELFF SCHMVCKIVS
BVDISSIONIS

VITEMBERGAE
TYPIS IO. SAM. GERDESII.





Προλεγομένα.



D e vsucaptionibus verba facere constitui. Intricatum et omnino spinosum est hoc argumentum, ita ut ACCVRSIUS, BARTOLVS et BALDVUS parum in eo viderint. Miscet hic indoctus Glossatorum chorus, (ut verbis CONRADIA) utr.) quodque eum sequitur, vulgus interpretum, litterarum praesidio destitutum, et commiscet antiqua nouis, quadrata rotundis, remque in se obscuram satis ac perplexam interpretamentis suis pene reddit inextricabilem. Succesu tam temporis cum litterae magis magisque excoli coeperunt, magni ICti, et inter hos venustiores, studiorum *auxiliis* quaerentes, inceperunt, bonis litteris et antiquitatibus bene innutriti, iura vsucaptionum explicare. Quos inter omnibus fere palam praeripuit, praecocis ac praestantissimi ingenii vir HIE RON. GROSLOTVS^b), qui vix annum aetatis suae decimum septimum impleuerat, cum elegantissimum suum tractatum de

A 2

vsu-

- a) In triga libellorum, quibus iura vsucap. explicitantur in praef. p. II.
b) In tract. de vsucaptionibus Paris. 1538. qui postea insertus est EVER OTTONIS thesaur. Iur. Rom. Tom. V.



vsucaptionibus ederet, sed mirum non est, quod in tam difficulti materia quaedam omiserit, quippe in qua nulla fere certa atque indubitate veterum superfunt testimonia et fragmenta. Immo tanta est confusio, vt magnus ille romani iuris interpres **CVIACIVS** in Praefatione ad tit. π. de usurpationibus et vsucaptionibus nihil fere de diuersis vsucaptionum formis dixerit, contentus, vt ipse ait, quae de vsucaptionibus ex veterum Iuris auctorum libris a Iustiniano collecta sunt, breuiter adhibitis commentariis exposuisse. Postea vero ipse **CVIACIVS** a), quod hic praetermisit, suppleuit, et, breuiter quidem sed luculenter et accurate, veteris et Iustinianae vsucaptionis differentias exposuit. Deinde **IAC. RAEVARDI** b) tractatus prodiit, quo differeniae et iura vsucaptionum, ita ingeniose proponuntur atque illustrantur, vt non immerito a **IVSTO LIPSI** c) laudibus ornatur, cum fuerit Belgarum, Iurisque magna spes, cuius imaturam mortem omnes dolent. Nec minorem diligentiam adhibuit **ADRIANVS PVLVAEVSD** d) in hac materia illustranda, qui tamen in primis de prohibita furtuarum rerum vsucapione egit, sed ob nimiam in **CVIACIVM** accerbitatem et styli vehementiam omnino fit culpabilis. Hunc excipit **M. AVRELIVS GALVANVS** e) Italus, cuius perspicuitatem, docendique facilitatem laudat **GREGORIVS MAIANSIVS**, f). In auctores et senten-

a) ad IX libros Cod. Iust. ad tit. de vsucapione transformanda.

b) Tr. de veris vsucaptionum differentiis S. Tribonianus, reperitur in **CONRADI** tria libellorum.

c) Ad libr. II. Annal. Taciti.

d) Ad legem Atiniam, reperitur in **FRANC. ZILETTI** vasta collectione tractatuum vniuersi iuris Tom. XVII. fol. 216. sub rubro: de rei furtuae prohibita vsucapione, sed valde à **ZILETTO** mutilatus. Deinde infertus **OTTONIS** thes. Iur. Tom. IV. et **CONRADI** in tria libellorum illum iterum edidit.

e) De vſufructu cap. XI. et XII.

f) Lib. V. epist. 5. p. 287.

tentiam legis Atiniae, Plautiae, Iuliae et Scriboniae post PVL-
VAEVM ET RAEVARDVM fuse differuit IOSEPHVS FERNANDEZ
DE RETES, Hispanus *a*). Immo plures adhuc allegari possent
velut NICOL. CISNERVS *b*), HENRICVS GEBHARDVS *c*),
PETR. GILKENIVS *d*) et alii, sed sufficiat optimos laudasse. Pariter ad quasi vſucaptionem seruitutum explicandam multi Iure-
consulti humaniores operam suam nauarunt. Leges, de vſu-
capiione seruitutum aduersantes in concordiam redegit ex chrono-
logicis MATHAEVS WESENBECHVS. *e*) Edidit quoque ad Le-
gem Scriboniam IACOBVS RAEVARDVS *f*) doctissimum et ele-
gantissimum tractatum, in quo praesertim de auctore, et aeta-
te legis Scriboniae doctam fecit coniecturam, quae tamen non
omni caret dubio, nec non de praescriptione seruitutum hono-
raria multa locutus est. Praecipue laudanda est dissertatio elegan-
tissima HENR. COCCELI *g*), qui extraordinariam illam praesi-
criptionem praetoriam illustravit, nec minorem laudem me-
rentur Viri celeberrimi EV. OTTO *b*), ANTON. SCHVLTINGI-
VS *i*), IO. VAN DE WATER *k*) B. BRANCHV *l*) et ANDREAS

A 3

OCKE-

- a*) Ad leges, edita et constitutiones principum, quibus prohibita est vſucatio, reperitur in MEERMANNI thes. Tom. VI.
- b*) De Iure vſucaptionum.
- c*) De dignitate Iurisprud. et vſurpatione rerum.
- d*) De vſucaptionibus et diuersis tempor. praescriptionibus.
- e*) In Parat. ad π. de seruitut. §. 5.
- f*) Ad leg. Scriboniam, reperitur in laud. Conradi triga libellorum.
- g*) In diff. de praescriptione anomala.
- h*) In diff. de vſucapione seruitutum, reperitur in eius dissertationum parte I. pag. 389.
- i*) In Iurisprudent. ante Iustin. ad PAVL. I. Sent. 17. §. pen.
- k*) Lib. II. Obseru. c. 18.
- l*) Decade altera Obsr. cap. XVII. de seruitutum vſucapione.



OCKELIVS *a*), qui posterior tamen praesertim praeescriptionem ad regalia et alia iura pertinentem declarauit. In primis quoque vir de Iurisprudentia bene meritus ABRAH. WIELINGIUS *b*) breuiter quidem et omnes fere mutationes a legibus XII. Tabb. ad Iustinianum usque in Iurispr. restitura nobis indicat. Nouissime CEL. CONRAD *c*) iura usucaptionum secundum sensum romanorum illustravit, sed quamuis quidem omnes fere mutationes adiecerit, attamen ordine chronologico usus non est, ita ut idcirco mihi spicilegium reliquerit. Tentamen itaque virium mearum sumam, et usucaptionem secundum seriem temporum et ordinem chronologicum, quantum in potestate mea erit, explicabo. Placet vero in tam diffici ac paene inextricabili materia methodus proponendi chronologica, si enim hic diuersa tempora, horumque diuersa iura probe et maximopere non discernantur, dubito, immo plane nego fore, ut quispiam iura usucaptionum intelligere, et leges veterumque fragmenta rite et accurate interpretari possit: χρονόταξις enim est medium optimum fere et maximum. Lege sis Virum Celleberrimum et iurisprudentiae masculae et elegantioris sectatorem, quondam praceptorum meum ad cineres omni veneratione collendum, IO. GOTFR. SAMMETIVM *d*), qui verbis WAECHTLERI *e*): Nam si fastidimus Basilia et codicem Theodosianum, et omnes litteras, quae quaestui non seruunt, quis nobis locum ullum in sacris relinquet? hoc addit: πολιτείαν, et romanarum legum χρονόταξιν, Theophilum, Glossaria tam profana quam volu-

- a)* In Tr. de praescriptione immemoriali praesertim rerum dominicalium et regalium principum, itemque rerum ecclesiasticarum, mensalium, praeflatorum Germaniae.
- b)* In Iurisprud. restitura, ibique in praetermissis ad HAHNIVM, p. 235.
- c)* In historia usucaptionis, reperitur in eius tria libellorum.
- d)* In disserr. de legis poenae nomine pag. 4.
- e)* In Διατάξ. de veter. iure enucleando, edit. Trotziana p. 388.



vo^minac^a. Sed actum agere mihi video, si plura de vsu atque
praestantia chronologiae in iure differerem, in omnibus enim
elegantioris ac verae iurisprudentiae scriptoribus ita laudatur,
vt mea commendatione non indigeat. Si vero plura scire et
legere cupis, euolue sis HAHNIVM ^a), ANT. SCHVLTINGI-
VM ^b), HENRICVM BRENCMANNVM ^c), IOANNEM MERCERI-
VM, ^d) THEODORVM IANSON AB ALMELOVELEN^e), aliosque,
omnes enim hic recensere animus non est. Sunt quidam, qui
cum LAVTERBACHIO ^f) et aliis sentiunt, scire aetatem, qua
Iureconsulti veteres et in pandectis laudati vixerunt, ad legum
interpretationem et conciliationem nihil prodefesse; sed tolle
hanc scientiam, in multis ^g) valde errabis, quemadmodum ipse,
dum existimat, GREGORIVM in codice suo Gregoriano consti-
tutiones ab Augusto eiusque successoribus promulgatas ad Ha-
drianum, et HERMOGENEM ad Constantimum M. collegisse, nul-
la enim in toto codice Gregoriano reperitur constitutio Hadria-
no antiquior, et Augustus eiusque successores nunquam consti-
tutiones ediderunt, sed potius leges veteri ritu rogarunt ^h):
Sinamus igitur illos, sentiant quod lubet, acclamo illis cum
REINOLDO ⁱ): „O nata seueriori disciplinae pectora cauete, ne
„quis vobis tenebras offundat, cauete, ne quis ab elegantiorum
„iuris

- ^a) In Orat. de vsu chronologiae ac historiarum in iure, quam WIELING.
Iurispr. restit. Part. II. p. 123. subiecit.
- ^b) In orat. de Iurisprud. historica Franeq. recitata.
- ^c) In Diff. inaugural. de legum inscriptionibus, reperitur in WIELIN-
GII Iur. rest. part. II. pag. 147. et idem in Alfeno ICto.
- ^d) In conciliat. legum pag. 130. seq.
- ^e) In praef. fastis consularibus praemissa.
- ^f) In Colleg. theor. pract. pand. in prol. §. 4. n. 5.
- ^g) Idem in Compendio Digestorum tit. de Orig. Iuris.
- ^h) conf. BRVNQVELL. Histor. Iur. Part. I. cap. XIII. §. 2.
- ⁱ) In orat. de inscriptionibus legum pandectarum et codicis §. 2. fine
reperitur in eius opuseul. pag. 556. edit. IVGELER.



„iuris interpretum tramite vos deturbet, et in ACCVRSIANI facili barbariem, quam illi optimo conatu et felicissimo successu sugarunt, iterum agat praecipites. Cogitate, nullius pondus esse rationem, qua imponere vobis magna quantumuis nomina laborant.“

Τελος των προλεγομενων.

S E C T I O I.
DE VSVCAPIONE IN GENERE

§. I.

In omni pertractione basis et fundamentum est rei, de qua agitur, definitio, adiiciam illam, eamque legalem. Visu capio itaque ex mente DOMITII VLPIANI a) est adeptio dominii per continuationem possessionis anni vel biennii. Huius vero discipulus HERENNIVS MODESTINVS b) libro V. Pandectarum plenus eam tradit, illamque sic definit: est adiectione dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti. Sed quaeritur: quaenam definitio quoad genus sit accuratior? Permulti defendunt VLPIANVM, nec pauciores tamen MODESTINVM; hunc cum WESENBECIO c) ALCIATO d) et aliis de-

fen-

a) In Fragm. tit. XIX. §. 8.

b) In l. 3. π. de usurp. et vscap.

c) In Comm. ad π. h. t. n. 3.

d) In disquis. de quinque pedum praescriptione §. 59. reperitur sub calce HIERON. DE MONTE Tr. definibus regundis ciuitatum astrorum et praediorum, Norimb. 1710. 8. edit.

fendit CONRADI *a*), illius vero partes sequitur CVIACIVS *b*), SCHVLTINGIVS *c*), HAHNIVS *d*) aliisque. Assentior VLPIANO, et puto, vsucaptionem rectius dici adeptionem, quam adiectionem, quum vocabulum adeptionis magis distinctum reddat sensum. Quamuis enim lex tempus definiat, attamen per illud non simpliciter, seu immediate adiicitur dominium, sed potius per continuationem possessionis adipiscimur, seu acquirimus. Obiicit quidem CONRADI: *elegantissime dici, vsucaptionem esse adiectionem dominii, quoniam per eam re vera adiicitur dominium, quod ex sola traditione, aliquando etiam ex mancipacione non acquiritur.* Et hanc suam rationem in antecedentibus exemplis illustrat. Verum enim vero concedo, quod ex sola traditione, et aliquando etiam ex mancipatione, non acquiratur dominium, bene tamen illud adipiscimur, si continuatio possessionis per tempus lege constitutum accedat. Namque vsucapere est per usum et possessionem acquirere, *e*) ideoque non est, ut cum GELLIO *f*) legamus vsuscapi.

§. II.

Definita vsucapione ad attributa recensenda me conuerto, quum vero omnium Iureconsultorum de vsucaptionibus libri horum explicatione impleti sint, sufficiat, illa tantum enumerare. Ut rite constituatur vsucapio, requiritur primo bona fides, et sufficit, si modo ab initio adfuerit, mala enim fides superueniens ex Iure Romano non interrumpit vsucaptionem bona fide coepitam, prout illud testatur PAVLVS *g*) libro LIV. ad Edictum

B

et

- a)* In historia vsucap. §. VI.
- b)* In not. ad Vlpiani fragmenta tit. XIX. §. 8.
- c)* In Iurisprud. ante Iustin. in not. ad Vlpianum pag. 622. not. 33.
- d)* In obseru. theor. pract. ad Wesenbecium h. t. ad N. III.
- e)* l. 23. §. 1. ex quib. cauſſ. maior.
- f)* In noct. attic. Lib. VII. cap. 10.
- g)* In l. 4. §. 18. de usurp. et vsucap.



et libro X V ad PLAVTIVM *a*), nec non PAPINIANVS in libro XXIII. Quaefitionum *b*), et si hoc Papa INNOCENTIVS III. admittere nolit *c*), omnem tamen praescriptionem, (quod ὡς εὐπαρεῖσθαι dixerim,) cui mala fides superueniens accedit non sustulit, sed tantum eam, si quis rem alienam sciens, seu mala fide, possidet, valet itaque ius romanum, si de suo alter alterius aliquid praestare debet, plura vide apud COCCEIVM *d*) et BOEHMERIUM *e*).

§. III.

Secundo, requiritur iustus titulus, seu cauſſa ad dominium transferendum habilis, et quidem talis, per quam dominium irrevocabile transfertur, titulus enim revocabilis ad vſucationem constituendam non sufficit. Nec valet opinio iusti tituli, seu titulus putatius *f*), quia proprii facti ignorantia supina est, excipe tamen, si quis, iusto errore ductus, putauerit, se habere titulum *g*). Tertio, si vſucatio procedere debet, res, quam vſucare volumus, non sit vitiosa. Quaenam vero res pro vitiosa habenda, infra dicemus. Quartum requisitum est tempus legitimum, quod et statutum, constitutum et spatium solenne alibi vocatur *b*). Cum vero hoc spatium saepius sit mutatum, huius pleniorem explicationem ad suum quodquis tempus differamus.

Qui

a) L. 15. §. 2. eod. tit.

b) L. 44. §. 2. eod.

c) Cap. vlt. X. de praescriptione.

d) In diff. de finibus bonaे fidei in praescriptionibus.

e) In Iure ecclesiast. protest. Lib. II. Tit. XXVI. §. 54. seqq.

f) Iung. l. 27. π. de vſurp. et vſucap.

g) l. 11. π. pro emt. cf. EVER. OTTO in comment. ad Institut. ad §. 11. de vſucap. p. 220. in edit. Traiect.

b) Idem in praef. theſauri Tom. V. p. VII.



Qui vero singula cuiusuis rei vsucapienda, vel per praescriptionem retinendae tempora inquirere vult, euoluat EVSTA-
THIVM *a*), nec non CVIACIVM *b*), qui accuratissime omnes temporales praescriptiones explicuerunt. Denique ad vsuca-
pionem adhuc continua, nec interrupta requiritur possessio,
nimis tamen talis, in qua quis nec naturaliter nec ciuiliter est tur-
batus, vel ex illa vi deiectus.

§. IV.

Haec attributa nunc enarrata, necessaria tantum sunt, si tempus ordinarium vsucaptionem perficere debet, alias enim si vnum vel alterum ex his attributis deficiat, tunc praescriptio XXX annorum nihilominus rite procedit. Sed sufficiat haec ordinis cauſa adieciſſe, progrediſſur potius ad tractationem ipsam, et in hac PAVLVM *c*) ſequemur; qui libro LIV. ad Edictum eo ordine eundum eſſe putat, ut primo videamus, quis poſſit vsucapere, ſecundo, in quibus rebus, et tertio, quanto tempore vsucapio procedat. Initium vero, ut chronologice agamus, facimus a XII Tabb. Sequitur itaque.

B 2

SECTIO

a) De varia temporum in iure obſeruatione, edidit illum SCHARDIVS,
Basil. 1561. Emendatior tamen ac locupletior in IO. LEVNCLA-
VI Iure graeco Rom. Tom. II. pag. 207. reperitur, ex quo de-
inde διγλωττος a FABROTTO Tom. I. operum CVIACII p. 554.
insertus eſt.

b) De diuersis tempor. praescriptionibus et terminis.

c) L.4. pr. π. de vſurp. et vſucap.



SECTIO II.

DE STATV VSVCAPIONIS TEMPO-
RE XII TABVLARVM.

§. I.

VS AVCTORITAS FVNDI, BIENNIVM: CETE-
RARVM RERVM ANNVS VS ESTO

Haec sunt verba legis decemviralis in tabula VI nobis relictæ, a) sumta sunt ex CICERO b), qui in topicis et in orat: pro CAECINA istud fragmentum seruauit. Ipsa lex cum ceteris A. V. C. CCCIII proposita atque promulgata est, prout id testantur LIVIVS c), DIONYSIVS Halicarnassensis et POMPONIVS d). Luculentissime DIONYSIVS e) historiam anni CCCIII narrans, scribit: ἔτοι ί δέκα αὐνδρες συγγεάψαντες νόμους, ἐκ τε τῶν Ἑλληνικῶν νόμων, καὶ παρὰ τῶν σΦίσιν αὐτᾶς ἀγράφων ἐθισμῶν προύθηκαν έ δέκα δέλτοις τῷ Βελομένῳ σκοπεῖν κ. τ. λ. „Hi decem viri leges rum ex graecorum iure, rum & patriis consueruditibus conscriptas, in decem tabulis proposuerunt cuiilibet cognoscendas etc. „ et non multo post ipsius promulgationis facit mentionem his verbis f): ἐφεξῆς ἔθεσαν ἐν ἀγορᾷ, τὸν ἑπιφανέστον ἐκλεξάμενοι τόπον „una se- „rie

a) Vid. IACOBVS GOTHOFREDVS ad XII. Tabb. Tab. VI. p. 110. reperiatur in Tom. III. thesauri Ottonis.

b) CICERO in topicis cap. 4. et in Orat. pro Caec. cap. 19.

c) LIVIVS Lib. III. cap. 34. et 57.

d) I. 2. §. 4. d. O. I.

e) Lib. X. p. 681. lin. 2. edit. SYLBVRGI 1586.

f) Cit. loc. lin. 18. et 19.



,rie proposuerunt in loco fori maxime conspicuo. Quamuis quidem cum POMPONIO non negandum sit: quod eodem anno leges XII Tab. pro rostris compositae essent, quo decem viris sit datum ius in ciuitate summum: vii leges et corrigerent, si opus esset, et interpretarentur: neque prouocatio abiis, sicut a reliquis magistratibus, fieret, nihil feci tamen anno sequenti leges has esse promulgatas certum est, et sic mirifice LIVIVS, DIONYSIUS et POMPONIUS inuicem conspirant. Unde pater, errare RAEVARDVM a) in libro, quem inscripsit Tribonianum, dum putat, hanc legem anno demum trecentesimo quinto ab urbe condita perlatam, atque in publico propositam fuisse. Meritoque recedimus a sententia QVIRINISCHACERI, b) qui vsucaptionem tacito consensu, per mores et assiduum consuetudinem, inuestigam esse statuit, non vero per expressam legem.

§. II.

His consideratis inquiramus, quisnam tempore et Iure XII Tabularum vsucapere potuerit? et hoc non erit difficile diadicatu, scimus enim, vsucaptionem esse modum acquirendi dominii ciuilem, fluit itaque exinde, omnibus ciuibus romani facultatem vsucapiendi datam fuisse. Cum vero his cum peregrinis nulla communio iuris ciuilis fuerit, consequens est, ut ne his quidem vsucapere licuerit, idque indicant verba legis in Tab. III quae CICERO c) nobis conseruauit:

B. 3

AD-

a) In TRIBONIANO s. de veris vsucaptionum differentiis cap. 4. ab initio.

b) In Diff. de vsucaptionibus Lips. hab. Thes. V.

c) de Officiis Lib. I. c. 12.



ADVERSVS HOSTEM AETERNAVCTORI-
TAS ESTO

Hostis vero apud veteres et sensu coaevo idem erat, qui peregrinus appellabatur, ipsam enim vocem hostis veteri Latio nil nisi externum significare, obseruat GROTIUS ^{a)}. Nullam itaque rem nequidem longissimo tempore sibi acquirere poterat peregrinus, dominus enim tei aeternam contra illum habebat auctoritatem i.e. semper ei erat relicta potestas, omni tempore instituendi rei vindicationem.

§. III.

Ad res q̄tq; attinet, Iure auctoritatis dominium tam mancipi, quam nec mancipi rerum acquirere possumus, pro ut restatur DOMITIVS VLPIANVS ^{b)}, illarum vero dominium Quiritarium, harum vero bonitarium, quia res mancipi illius, nec mancipi huius dominii tantum erant capaces, quod fusiſ CORN. VAN BYNKERSHOEK ^{c)} explicuit. Sed fundorum prouincialium vſucapio erat prohibita, scil. eorum, qui non Iure Italico gaudebant, tempore enim XII Tabularum Romanorum ditio extra Italiā se non extendebat, ideoque Decemviri leges dare non poterant, deinde proprietas horum fundorum erat totius populi Romani, et possesso tantum penes priuatos, vt id THEOPHILVS ^{d)} eleganter exponit, dicens: Οἱ τὰ σιτενδίᾳς κοι τερβυτάρια ἔχοντες πάλαι κατὰ συνχώρησι δῆμος, ἡ Ρωσιλέως ψη ήσαν δεσπόται: ἡ γαρ δεσποτής αὐτῶν ἦν ἡ παρὰ τῷ δῆμῳ, ἡ παρὰ τῷ βισιλῇ. Qui olim ex concesſione populi vel principiis

^{a)} de Iure Belli et Pacis Lib. II. Cap. XV. §. 5. n. 2.

^{b)} In fragment. tit. XIX. §. 8.

^{c)} In Tr. d. rebus mancipi et nec mancipi Cap. VI. p. 121.

^{d)} THEOPHILVS in paraphraſi Inst. §. 40, I. d. R. D.

cipis stipendiaria vel tributaria praedia habebant, domini non erant, nam dominium illorum erat apud populum aut apud principem. Simpliciter ideo dicuntur interdum possessiones, cum vero ad haec praedia ius civile regulariter non extendetur, minime quoque in illis vsucatio locum reperire potuit, quod testatur PAVLVS a): in vestigalibus et in aliis praediis, quae vsucapi non possunt; immo hoc quoque IVSTINIANVS b) asserit, et exinde non male eliciunt, quod supra adducta VLPIANI verba, nempe vsucapione dominium tam mancipi, quam nec mancipi rerum acquiri posse, tantum sint intelligenda de rebus mobilibus, cui sententiae HEINECCIVS c), sequutus CIVACIVM d), fauet.

§. IV.

Porro hoc tempore nullae, nisi res corporales vsucapiebantur, incorporales enim veluti seruitutes non poterant possideri, dum ad vsucaptionem constituendam requirebatur ex lege XII Tabb. vsus fundi, i. e. possessio, seu talis vsus, qui cum possessione est coniunctus, quod AELIUS GALLVS, quem et GELLIVS et alii frequenter iuris auctorem laudant, docet, ait enim apud FESTVM e): Possessio est vsus agri aut aedificii. Idem testatur IAVOLENVS f) libro XV Epitomarum, ubi: Possessio, inquit, vsus, ager proprietas loci est. Accurate itaque CAIVS g), qui a IAC. GOTHOFREDO assiduus legum XII Tabularum collator appellatur, lib. IV. ad Edictum prouinc: Vsucaptionem

in-

a) I. 12. d. Publ. in rem act.

b) I. un. C. d. vsucap. transform.

c) in synt. antiquit: Libr. II. Tit. VI. §. 2.

d) in parant. ad tit. C. d. vsucap. transf.

e) de Verb. Signif. sub voce: possessio.

f) I. 115. d. Verb. Signif.

g) I. 9. d. Vsurp. et vsucap.



inquit, recipiunt res corporales. Porro omnes res, quae non erant in commercio, non poterant vsucapi; illas enim alienare erat prohibitum, iam vero alienatio etiam continet vsucacionem, prout id PAVLVS ^{a)} lib. XXI ad Edictum monet, ex quo clarissime constat, cur nec res sacra, nec sancta, nec publica, nec populi Romani vsucapi poterat.

§. V.

In re furtiuā nunquam procedebat vsucacio, teste POMPO-
NIO, b) IULIANO, c) et IVSTINIANO d) supra et. im (Sect. 1. §. 3.)
iam est annotatum, quod ad constituantam vsucacionem res
non vitiosa requiratur, cum vero rei furtiuac furto ablatae, vi-
tium quoddam inhaereat, in Tab. II. a Decem viris statutum est:

FVRTIVAE REI AETERNAVCTORITAS ESTO.

Huius vero legis ^{a)} fuit vis et potestas, ut dominus rem
suam, forte amissam, in aeternum, id est, omni tempore et a quo-
cunque posseſſore vindicare possit. A quoconque posseſſore
dico, quia furti vitium ipſi rei inhaeret, nec admittenda est
ſententia HEINECCI ^{e)} aliorumque, qui putant, hoc tantum
de fure ipſo esse intelligendum; fac enim, illum, qui rem pos-
ſidet, esse in bona fide, attamen furti vitium nunquam purgari
pote-

^{a)} I. 28. d. V. S.

^{b)} I. 24. pr. de vſurp. et vſucap.

^{c)} I. 33. eodem.

^{d)} §. 2. I. de vſucap.

^{e)} in syntagn. Antiquit. Lib. II. Tit. VI. §. 4. ab initio.



poterit, sed id potius erit iuris, quod **POMPONIUS** a) refert: vbi lex inhibet vsucaptionem, bona fides possidenti nil prodest. Huc quoque pertinet tignum fertivum aedibus vineisque iunctum, domino enim illud vindicanti, si solutum sit, semper cedit, et nulla huic obstat vsucatio, ait lex XII. Tabb. b)

TIGNA QVANDOCVNQVE SARPTA, DONEC
DEMTA ERVNT, VINDICARE IVS ESTO.

§. VI.

Intuitu rerum leges XII Tabularum c) quoque verabant spatii quinque pedum vsucaptionem, quod olim inter agros confines vacuum relinquebatur. Fragmentum huius legis sic se habet:

INTRA QVINQUE PEDES AETERNA VICTORI-
TAS ESTO.

CICERO d) hoc nobis iisdem fere verbis reliquit. Sermo hic est de itinere, quod ad culturam agri accedit. Iter enim, quo non ad culturam peruenitur, capitvus, scilicet quod in vusu biennio fuit, vti hoc commemorat AGGENVS VREIVS ad IVNII NYPsi libellum in interpretationibus, citante ANDR. ALCIATO e). Oribantur itaque de agris dueae controversiae, una de fine, altera de loco, seu proprietate, vti hoc inter rei

C

agra-

a) l. 24. pr. π. de usurp. et usucap.

b) in Tabula VI. in legibus a **GOTHOFREDO** restauratis.

c) in Tabula VIII.

d) de legibus lib. I. cap. 21.

e) in disquis. de 5 pedum praescriptione §. 16 et 17.



agrariae scriptores commemorat FRONTINVS a) Materiae controuersiarum', inquit, sunt duae, FINIS et LOCUS etc: Immo illud ostendunt Imperii. THEODOSIVS M. ARCADIVS et HONORIVS b) his verbis: Cunctis motionibus et machinis amputatis FINALIBVS IVRGITIS communem modum, quem praescriptimus: ac de eo tantum spatio h. e. quinque pedum, qui veteri iure praescripti sunt, sine obseruatione temporis, arbitros iussimus iudicare: Quod si loca in controuersiam veniant etc: Sed prior tantum controuersia scilicet de fine hoc pertinet, est enim ea, quae intra quinque pedes mouetur, teste FRONTINO, qui dicit: de FINE similis est controuersia, nec dubium est, quin supra definitione conditione dixerim, nam et eadem lege (scil. Mamilia) continetur, et de quinque pedum agitur latitudine; hinc finalis quaestio vocatur a PAPINIANO c). De loco controuersia est, quicquid excedit praescriptam latitudinem, et haec huc referri non debet.

§. VII.

His praemissis accuratius paulo inquiramus, quidnam lex XII Tabularum circa hanc materiam praeceperit. Necesse erat, prout iam dictum, ut inter fundos confines semita modica, et quidem quinque pedes lata, vacua reliqueretur, ea ex ratione, quia tale spatium versura aratri requirebat, testante AGGENO VRBICO d): Quoniam, inquit, hanc latitudinem vel iter ad culturas accendentium occupat, vel circumactus aratri. IMMO PAVLVSE) aliam rationem suppeditat, dum ait: ut finis terrae per terminos regantur, ne dissipentur, ut ab utrīque

a) de limitibus agrorum pag. 52. male itaque hunc LUDOVICUM in doct. Pand. pag. 194 FRUNDINUM appellat.

b) l. 4. C. Theod. finium regund.

c) l. 11. π. finium regund.

d) AGGENVS VRBICVS in tr. de limitibus. e) Lib. I. Sent. 16. tit.

que quinque pedum loco teneantur. Haec vero semita seu spatium quinque pedum XII Tabb. iure vsucapi non poterat, ob auctoritatem rei rusticae et fauorem agriculturae, haec enim apud veteres Romanos quam maxime colebatur.

§. VIII.

Denique intuitu rerum religiosarum in Tabula X legum decemviralium constitutum inuenimus:

FORI, BVSTIVE AETERNA VICTORITAS
ESTO.

Inter omnes constat, quanta cum industria et religione veteres Romani Deos coluerint, immo quanto cum feroore pro aris et focis dimicauerint, adeo, vt, quod CICERO *a)* ait: diligentius vrbs religione, quam ipsis moenibus, cingeretur. Deriuatur ex hoc fonte Romanorum diuisio rerum in diuini et humani iuris: illae iterum erant vel sacrae vel sanctae vel religiosae, prout scil. res vel Diis superis vel inferis s. Manibus vel Medioxumis dedicabantur et consecrabantur. Ritum hunc consecrationis accurate describit HEINECCIVS *b)*. His solennibus peractis, res in Deorum dominium transibat, et nunquam priuatus illud acquirere poterat, fluit itaque exinde has res, scilicet diuini iuris nunquam vsucapi potuisse, teste CICERONE *c)*, qui expresse dicit: Nihil mortales a Diis immortalibus vsucapere possunt *d)*. Cum vero Romani putarent, hoc lege naturae,

C 2

com.

a) de natura Deorum lib. III. cap. 40.

b) in synt. antiquit. Lib. II Tit. I.

c) de haruspiciis responsis.

d) l. 9. π. de usurp. et vsuc.



communique iure gentium sanctum esse, Decemuirī adhuc addebat, quod nec forum nec bustum vsucapere licitum sit. Sepulchrum, tanquam res diis Manibus consecrata, iam erat locus religiosus, et vsu acquiri ideo non poterat, nominatim itaque de foro constituebant, vt hoc, tanquam sepulchri accessio, eiusdem iure frueretur.

§. IX.

Forum hic idem significat, ac vestibulum sepulchri, CICERO a) enim ait: Forum i. e. vestibulum sepulchri, bustumue vsucapi vetat ius sepulchorum. Vestibulum vero sepulchri erat ille ambitus seu spatium vicinae areae, quod proxime sepulchro adiacebat, et hoc quoque in monumentis plerumque indicatur, vt quilibet sciat, quaenam res esset religiosa, eoque ipso vsucapi non possit. Docet hoc apud PETRONIVM b) Trimalchio testamentum condens: „Quid dicis, inquit, amice „carissime? aedificas monumentum meum, quemadmodum „te iussi? Valde te rogo, vt secundum pedes statuae meae ca- „tellam singas et coronas et vnguenta et peractas omnes pu- „gnas, vt mihi contingat, tuo beneficio post mortem viuere. „Praeterea, vt sint in fronte pedes centum: in agrum pedes „ducenti. „ Nec non HORATIVS: c)

*Mille pedes, inquit, in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabant:*

Cippus enim hic nihil aliud est, quam columella in sepulchris posita; cui tale quid inscribebatur, quod videre est ex PERSIO d), qui dicit: - nunc

a) de legibus lib. 2.

b) in satyric. pag. m. e. 80.

c) Sermon. libr. I. Sat. VIII. vers. 12.

d) Sat. I. vers. 36.



nunc non cinis ille Poetae
Felix? non leuior cippus nunc imprimit ossa?

Immo multo adhuc luculentius idem patet ex SICULO FLAG-
CO a): Inficiendum erit et illud, ne, quoniam sepulcra in ex-
tremis finibus facere soliti sunt, et cippis ponere, aliquando cip-
pus pro termino errorem faciat. Si forte litterae detritae vel
consumatae fuerint, ita, ut legi amplius non possit, quid in hoc
scriptum sit.

§. X.

Busti quoque usucapio prohibita est; videamus vero,
quid hoc loco sub hac voce sit intelligendum. FESTVS b) se-
quentem nobis praebet descriptionem: BVSTVM proprie is dici-
tur locus, in quo mortuus est combustus et sepultus, diciturque
bustum quasi bene usum. Differt itaque bustum a sepulchro et
vstrina, illud enim eum tantum locum significat, vbi quis sepul-
tus, haec vero locum, vbi cadauer hominis quidem vrebatur,
sed ossa et cineres eius non condebantur, vii hoc FESTVS eo-
dem loco docet: Vbi combustus quis tantummodo, alibi vero est
sepultus, is ab vrendo VSTRINA vocatur. Ex his videmus, bu-
stum sub se comprehendere tam sepulchrum, quam vstrinam,
in propria sua et antiqua significatione, recentiori tamen aeuo
promiscue usurpatum, mox enim significat sepulchrum, mox
vstrinam. Cum vero hic de tempore XII Tabularum sermo-
sit, quilibet facile videt, hoc loco antiquorem illam signifi-
cationem huius vocis esse retinendam, quod scilicet tam locum,
vbi quis vrebatur, quam sepulchrum simul denotet. Errat

C 3

itaque

a) de conditionibus agrorum.

b) de verb. signif. sub voce: bustum.



itaque cum **HOTTO MANNO, IAN. VINC. GRAVINA**^{a)}, qui putat: bustum esse eum locum, vbi cadauer fuerat exustum, siquidem alibi conditum fuisset. Addit quidem rationem, scribens: „Si enim bustum pro ipso sepulchro accipiemus, inutilem „hanc reddemus legem. Siquidem sepulchra per se satis ipso „religiosi iure vsucacionem excludebant: nec quidquam no- „minatim noua lege caueri oportebat.” Sed quis vñquam re- dixit, quod bustum pro ipso sepulchro hic accipi debeat? negamus hoc, et potius **FESTVM** scriptorem hac in re omnino antiquissimum sequimur. Sensus vero legis huius decemuiralis hic erat: Cum satis notum sit, res, quae in Deorum sunt dominio, non posse vsucapi, prohibeatur etiam accessionis iure, vestibulum sepulchri, et eum locum, vbi quis crematus et sepultus est, per vsum acquirere. Decemuiri itaque id, quod antea iam iuris erat, extenderunt, sepulchrum enim, vtiam dictum, tanquam res religiosa, per possessionem acquiri non poterat, potuerunt ideo bustum, cuius vocis significatio omnino latius patet, quippe quae eum locum, vbi quis non tantum sepultus, sed etiam simul exustus est, denotat.

§. XI.

Pertractatis ac recensitis rebus, quae vsucapi poterant, vel non, tempestuum est, vt consideremus, quanto nempe tempore Iure XII Tabb. vsucapio perficiatur. Ut vero hic accuratius procedamus, non abs re fore arbitramur, si pauca, de computatione temporis, in vsucapione adhibenda, praemittamus. Scimus, Romanos non uno eodemque modo in Iure tempus computasse, mox enim a momento ad momentum computavit, vt ne hora quidem deficere debeat, ad tempus perficiendum: mox vero sufficit, si quis ultimum tantum diem attigerit,

a) in operib. pag. 264. edit. **MASCOVIAN:**

rit, illa computatio dicitur naturalis, haec ciuilis, vt id fuisse explicuit 10. CONR. RÜCKERVS *a*). Inquirendum itaque est, quaenam in vsucapione adhibeatur? inquit VENVLIEVS SATVRNINVS *b*): „in vsucapione seruatur, vt etiam, si minimo „momento nouissimi diei possessa sit res, nihilominus replea- „tur vsucapio, nec totus dies exigitur ad explendum constitu- „tum tempus.., Ex his videmus in vsucapione ciuilem tempori computationem requiri, ita vt non ab hora ad horam, non a momento ad momentam, sed a die ad diem computetur, et vsucapio procedat, si modo vltima dies sit incepta. Id quoque DOMITIVS VLPIANVS *c*) testatur, qui: in vsucaptionibus, „inquit, non a momento ad momentum, sed totum, postre- „mum diem computamus.., Varie quidem legis huius verba a iureconsultis interpretationibus mutilantur et explicantur, sed placet prae ceteris crisis RÜCKERI *d*), qui solam interpunctionem hic adiicit, et post verbum *totum*, comma ponit, et sic legit: *Sed totum, postremum diem computamus*, quo ipso tota lex facilis est intellectu, etenim mens VLPIANI est: In vsucapi- onibus postremum diem non a momento ad momentum, sed totum computamus.

§. XII.

His praemissis ad ipsam tractationem redeamus, quantum scilicet temporis spatium ad vsucapionem implendam requireatur. Lex ait :

VS

- a*) in diff. de civili et naturali temporis computatione in iure cap. I.
- b*) l. 15. pr. π. de diuers. temp. praescript.
- c*) l. 6. π. de vflusp. et vsucap.
- d*) in diff. laud. cap. 2. §. 4. seq.



VS AVCTORITAS FVNDI, BIENNIVM: CETE-
RARVM RERVM ANNVS VS ESTO

Vfuscatio itaque vel biennio vel anno absolvitur. Fundus acquiritur biennio, sed nonne etiam per fundum hic intelliguntur aedes? nequit, et plane nefcio, cur iure consularum fere omnes putant, hoc loco sub fundo etiam aedes comprehendendi. Laudant FLORENTINVM *a)*, qui libro VIII Institutio-
num expresse dicit: *Fundi appellatione omne aedificium et om-
nis ager continetur.* Allegant porto VARRONEM *b)*, immo-
citantIAVOLENVM *c)*, qui ait: *Fundus est omne, quicquid so-
lo tenetur.* Praeterea hoc ex VLPIANO *d)* et denique ex THE-
OPHILO *e)*, probant, qui posterior male et ex errore histori-
co, loco verborum: Iure ciuili etc. τῷ τῷ δωδεκαδέλτῳ νόμῳ
ponit. Sed sole meridiano clarior est locus CICERONIS *f)*, qui
dicit: „Vsus auctoritas fundi biennium est, sit etiam aedium?
„At in lege aedes non appellantur, et sunt cetera rum rerum,
„quarum annus est vsus.“ Ex hoc enim videmus tempore XII
Tabularum aedes sub fundi nomine non fuisse comprehensas.
Quicquid alii dicant, aut est error historicus, ut apud THEO-
PHILVM, aut error ex negligentia chronologiae ortus, cum IA-
VOLENS, FLORENTINVS, VLPIANVS et VARRO de recenti-
oribus temporibus scribant. Ex THEOPHILO id certe proba-
ri nequit, auctoritas enim CICERONIS multo maior est illius;
agnoscimus quidem THEOPHILVM tanquam bonum et erudi-
tum

a) 1. 2II. π. de Verb. signif.

b) de lingua lat. lib. 4.

c) 1. 115. π. de Verb. Signif.

d) in Frägm. tit. XIX, §. 8.

e) in paraphr. ad Inst. de vfuscap. in pr.

f) in topicis. §. 22.

rum interpretarem, immo concedimus HEINECCIO a), illum esse scriptorem non futilem, sed doctum et IVSTINIANO συνέχεον, sed vix calculum eius sententiae adiecerim, si dixisset, bonum illum semper fuisse historicum b).

§. XIII.

THEOPHILUS verba Institutionum c): *Iure ciuili* repugnant, hic enim ius ciuale stricte sic dictum non denotat Ius XII Tabularum, sed potius ius per interpretationem iurisprudentum introductum, teste POMPONIO d). De hoc itaque tempore omnino etiam VLPIANI locus est sumendus. Minus recte itaque IO. BORCHOLTEN e), FRANCISCVS BALDVINVS f), IAC. RABARDVS g), CVNR. RITTERSHVSIVS h), PAVLVS MERVLA i), M. AVREL. GALVANVS k), IAN. VINC. GRÁVINA l), CHR. GOTFR. HOFFMANNVS m), IO. GOTTL. HEINECCIVS n) et alii sentiunt, quod iure XII Tabb. immobilia biennio, et mobilia

D
lia

- a) in Elem. Iur. ciu. sec. ord. Pand. tit. de SCto Maced. §. 169.
- b) conf. ERVNLQVELL. in hist. Iur. P. III. M. I. Cap. II. §. 7. pag. 300. seq. unde et MERILLIVS Animaduersiones in eum scribere voluit vid. Lib. VIII. obs. 27.
- c) pr. I. de vsu capion.
- d) l. 2. §. 5. et 12. π. de O. I. conf. l. 51. §. 2. ad. leg. Aquil.
- e) in Comment. ad Inst. h. t. ad pr. pag. 87. b.
- f) in IVSTINIANO pag. 19. edit. GVNDLING.
- g) ad leg. Scriboniam cap. 2. Idem in Triboniano cap. 3.
- h) in comment. ad XII. Tabb. p. 133.
- i) de legibus pag. 163.
- k) in diff. d. Vusufructu cap. XII. pag. III.
- l) in operibus tom. I. Lib. II. cap. 39. pag. 195. ed. MASCOV.
- m) in histor. Iuris. tom. II. pag. 212.
- n) in synt. Antiquit. tit. de Vfuc. §. 2.



lia anno vsucapta fuerint. Lex enim asserit: Fundi vsus auctoritas biennum esto, et CICERO^{a)} expresse: Aedes, inquit, in lege non appellantur, et sunt ceterarum rerum, quarum annus est vsus. Sensus itaque legis Decemuiralis hic est: Fundus i. e. praedium rusticum et res mancipi biennio, ceterae vero res omnes, aedes aequo ac res mobiles, anno vsucapiuntur. His mihi iura, quae tempore τε δωδεκατετε a Decemuiris constituta sunt, satis recensuisse videor.

S E C T I O III.

DE VSVCAPIONIS STATV TEMPORE DISPV TATIONVM FORI.

§. I.

Iure consulti per interpretationem quoad personas, quibus permissa erat vsucapio, nihil mutauerunt, ratione rerum vero omnino nunc est discrimen inter hoc et XII Tabularum tempus. Vsucaptionem enim biennalem, quae antea in fundis tantum locum habebat, (Sect. II. §. XII et XIII) ad aedes extenderunt, ita ut hae perinde ac fundi, non prius, nisi biennio possint vsucapi. Hoc CICERO^{b)} nos docet: „Lex, inquit, „vsum et auctoritatem fundi iubet esse biennum. At vtimur „eodem iure in aedibus, quae in lege non appellantur.“ Non absque ratione dicit: eodem iure vtimur et in aedibus, lex enim, scilicet XII Tabb. non iubet vsum et auctoritatem aedium esse biennium, sed fundi tantum, ast per interpretationem prudentum introductum est, ut hoc quoque valeat in aedibus, at enim

^{a)} in Topicis cap. 23.

^{b)} in orat. pro CAECINA cap. 54.



enim *rvllivsa*). „Quod in re pari valet, valeat in hac, quae
„par est, vt, quoniam auctoritas fundi biennium est, sit etiam
„aediuim. At in lege aedes non appellantur, et sunt ceterarum
„omnium, quatum annus est *vſus*. Valeat aequitas, quae
„paribus in cauſis paria iura desiderat.“ Porro hoc probari
potest ex textu Institutionum *b*), vbi legitur: *IVRE CIVILI* con-
ſtitutum fuerat, *vt*, qui bona fide - rem emerit - - is *eam*
rem, *ſi mobilis erat, anno vbique uno, ſi immobilitis, biennio - - vſu*
eaperet. Ius enim ciuile hic nihil aliud significat, quam inter-
pretationem prudentum, et disputationes fori, quod iam Sect.
II. §. XIII notatum est. Sequitur itaque exinde, *vt VLPIANI* *c*)
locus non de alio, quam de hoc tempore fit assumendus, dicit
enim: *Vſucapio* est dominii adeptio per continuationem pos-
ſionis anni vel biennii, rerum mobiliū, anni, immobiliū,
biennii.

§. II.

Per disputationes fori, seu prudentum interpretationes, in-
troducta quoque est feruitutum per vſum acquisitio. Cum
enim in XII Tabulis requireretur vſus, quod idem denotat, ac
posſeſſio, ſequitur, *vt* in feruitutibus, quae tanquam res in-
corporales poſſideri non poterant *d*), vſucapio locum non ha-
beret. Sed Iureconsulti ſingebant quandam quaſi poſſeſſio-
neni feruitutum *e*), ita, *vt ob* hanc poſſeſſionem, bona fide
coeptam, etiam feruitutes vſucapi poſſent, quia omnino in-
tererat, haec iura aequa ac dominia rerum corporalium eſſe

D 2

certa

a) in Topicis ad *TRERATIVM* cap. 23.

b) pr. I. de *vſucap.*

c) in Fragment. tit. XIX. §. 8.

d) *PAVLVS* in l. 14. π. de feruitutibus.

e) l. 23. §. 2. π. ex quibus cauſ. mai. et l. 32. in fine de S. P. V.



certa. Praeclare hoc docet CICERO a): Fundus, inquit, „a patre relinquimus potest: at usuratio fundi, hoc est, finis sollicitudinis ac periculi litium non a patre relinquitur, sed a legibus. Aquae ductus, baustus, iter, actus a patre, sed rata auctoritas barum verum omnium a Iure civili sumitur.“ Expressum hic ius civile opponit legibus scil. decemuiralibus, dicentem usucaptionem fundi originem debere legibus, ratam vero auctoritatem seruitutum, scilicet harum per usum acquisitionem, ortum a Iure civili trahere, nam rata auctoritas nil aliud denotat, quam vindicationem seruitutum et robur, quod iureconsulti iis accommodarunt, si cum fundis possessae et acquisitione fuerint. Immo quod Iure civili seu media Iurisprudentia usucapere seruitutes licuerit, ex eo docet M. AVREL. GALVANVS b), quod, ea declinante, usucapio illarum sicut Scribonia lege sublata. Sed idem docemur, cum ad ipsam XII Tabb. legem notet in topicis TVLLIUS: Aequitas paribus in causis paria iura desiderat, nam eo magis ICTI usucaptionem ad seruitutes extenderunt, quia seruitutes rebus immobilibus similes sunt, immo ipsorum praediorum qualitates c). Ex his quoque coniici potest, quod seruitutum haec usucapio fuerit biennalis, accedit enim adhuc, quod PAVLVS d) expresse dicat, seruitutem biennio amitti, et usurpatam biennio recipi posse.

§. III.

Per interpretationem prudentum introducta quoque videatur rerum immobilium longi temporis praescriptio. Cum enim non semper usucaptionis introductae finis esset obtainendus, nempe ut dominia sint certa, finisque litium sit sperandus, et negligenter

a) in Orat. pro CAECINA §. 74.

b) de Usufructu cap. XII. pag. 112. n. III.

c) jung 1. 86. de V. S.

d) Paul. lib. I. tit. 17. §. 2. sent. recept.

gligentia dominorum puniretur, quia interdum vitium vel rei vsu-
capienda, vel personae vsuaciendi, inhaerebat, ita, ut vsuacio
procedere non possit. Iure consulti aequitate commoti statuerunt,
ut, qui rem iusto titulo bonaque fide per longum temporis
spatium sine vitio posse disset, is per exceptionem longae pos-
sessionis contra dominum rem suam vindicantem se defendere
possit. Huic exceptioni, quippe quae maxime ab vsuaciione, a
Decemviris introducta, recedebat, nouum nomen praescriptio-
nis imposuerunt. Hanc coniecturam protulit CONRADIA), et
probabiliter illam defendit ex lege Plautia, quae iam longa pos-
sessione capionis mentionem facit cf. Sect. IV §. 6.) Cum vero
haec lex multo ante AVGVSTI tempora lata sit, haud parum
roboris huic coniecturae accedit, quod Iurisconsultorum dis-
putatione, et deinde simul quoque iurisdictione praetoris ante
principum adhuc tempora a veteri vsuaciione discessum sit.

SECTIO IV.

DE LEGE ATINIA, PLAVTIA ET IVLIA.

§. I.

Sic itaque se habebant iura vsuacionum a tempore XII
Tabb. ad interpretationem prudentum visque, videamus nunc
porro, a quo, quando et quomodo illa subsequentibus temporis
bus, vel aliquid addendo vel detrahendo, mutata sint. Primum
κατὰ χρονόταξιν obtinet locum lex ATINIA, quae perperam in In-
stitutionibus b) ATILIA et apud THEOPHILVM ὁ ΑΤΙΛΙΟΣ νόμος au-
dit,

D 3

dit,

a) CONRADI in histrio vsuacionum §. X et XI.

b) §. 2. I. de vsuac.



dit, obstat enim auctoritas GELLII et Pandectarum Florentiorum. Incerta est legis huius aetas, ita, ut PVLVAEVM, doctrinam ignorantiam profiteri, non puduerit, immo alii silentio aetatem omitunt, ut GRAVINA *a)*, qui contentus est, dixisse, hancce legem ante NIGIDIVM FIGVLVM et CICERONEM *b)* esse latam, sed maxime probabilis est sententia PIGHII *c)*, latam esse hanc legem c. CORNELIO CETHEGO ET Q. MINVTIO RVFO CONSVLIBVS A CAIO ATINIO LABEONE Tribuno plebis A. V. C. DLVI.

§. II.

Ipsa lex ATINIA teste GELLIO *d)* et PAVLO *e)* sequentis erat tenoris:

QVOD SVBREPTVM ERIT EIVS REIAETERNA
AVCTORITAS ESTO: NISI IN POTES-
TA M EIVS CVI SVBREPTA ERIT
REVERTATVR.

Priora verba GELLIUS nobis reliquit, posteriora vero, quae restringendi causa adiecta sunt, restituit PAVLVS. Omnia itaque lex XII Tabb. ratione usurpationis rerum furtiarum valde est mutata, primum enim caput, quod GELLIUS reliquit, magis est extensum, cum VOX SVBREPTVM latius pateat, quam furtium; indeque facile perspicimus, male PVLVAEVM *f)*, GRA

a) in Origin. Iur. Ciuit. lib. III. c. 64. pag. m. 395.

b) iunge sis Orat. in VERREM lib. I. c. 42.

c) Annal. rom. tom. II. pag. 255.

d) in Noct. atticis Lib. XVII. cap. 7.

e) l. 4. §. 6. de Usurp. et usurp.

f) ad leg. Atiniam cap. 2. et 13.



GRAVINAM *a*), HEINECCIVM *b*), aliosque putasse, quod prius
huius legis caput mera tantum sit repetitio legis XII Tabb. cu-
ius verba erant: REI FVRTIVAE AETERNA AVCTORITAS ESTO.
Subreptum enim non tantum res, quae furto nobis ablatae
sunt, comprehendit, sed simul res amotas, id quod iam IAC.
GOTHOFREDVS *c*), GRONOVIVS *d*), GOTFR. MASCOVIVS *e*),
CONRADI *f*) aliique obseruarunt.

§. III.

Alterum caput prioris continet exceptionem, dicitur nempe:
BERVM SVBREPTARVM NVNQVAM PROCEDIT VSVCAPIO,
NISI IN POTESTATEM EIVS, CVI SVBREPTA ERIT, REVERTATVR. Pater
ex his, eo in casu, qui in altero capite reperitur, deinde omnino
vsucaptionem locum habuisse, quae tamen iure XII Tabb. ratio-
nerei furtuuae indistincte nunquam procedere poterat, potius hu-
iis erat aeterna auctoritas (cf. Sect. II §. V.). Sed quid per
verba significatur: In potestatem eius, cui subrepta erit, re-
uertere? PAVLVS *g*) hoc docet libro LIV ad Edictum; sic ac-
ceptum est, inquit, ut in domini potestatem debeat reuerti:,
non in eius vtique; cui subreptum est. His verbis idem dice-
re voluit, ac non praecise requiri, ut res in potestatem eius,
cui subrepta est, redeat, sed sufficiat, si in domini scientis
potestatem reuersa fuerit: dico in domini SCIENTIS potestatem,
hoc enim necessario requiritur, si enim rem suam esse ignoret,

non

a) loc. cit.*b*) in historia Iur. Lib. I. §. 89.*c*) ad XII. Tabb. Tab. 2*d*) in Comment. ad GELLIVM d. 1.*e*) in annotat. ad GRAVINAM l. c.*f*) in not. ad PVLVAEI tr. de lege Atinia pag. 78.*g*) l. 4. §. 4. et §. 21. et l. 49. devsurp. et vsucap.



non creditur, in potestatem eius redisse, et si illius possessionem adeptus sit, quod PAVLV S loco laud. §. 12. monet ^{a)}. Sed hoc ideo adieci, quia omnes fere, qui hanc materiam pertractant, sibi satisfecisse persuadent, si modo dixerint: quod haec lex rerum subreptarum vsucaptionem inhibeat, antequam ad dominum reuersae fuerint, quam minus accurate vero sic scribant, ex allegato PAVLI loco perspicere quilibet potest.

§. IV.

Porro, quidnam haec verba: in potestatem alicuius venire: sibi velint, optime docent CASSIVS et SABINVS, quorum fragmentum IVLIVS ^{b)}, libro singulari ad legem FUSIAM CANINAM, reseruauit. In potestatem domini, a iunt, rem furiuam venisse videri, et si eius vindicandae potestatem habuerit. Et PAVLV S ^{c)} alio loco: „Tunc, ait, in potestatem domini reddisse dicendum est, cum possessionem eius natus sit, ut iuste auelli non possit.“ Iubet ideo lex, ut sufficiat ad vsucaptionem rite formandam, si modo dominus notitiam quandam de re sua acceperit, et illam tanquam suam agnouerit, quia tunc semper ei potestas competit, rem suam vindicandi; minus accurate ergo sentiunt GRAVINA ^{d)} et HEINECCIVS ^{e)} qui praecepsa requirunt, ut res ad verum dominum sit reuersa. Sic enim IVLIVS ^{f)} manifeste iis repugnat, dum ait: „Sed, et si vindicauero rem mihi subreptam et litis aestimationem accepero: licet corporaliter eius non sim natus possessionem, vsucapierur..“

Ex.

^{a)} jung. l. 86. de furtis.^{b)} l. 215. d. V. Signif.^{c)} l. 4. §. 12. π. d. usurp. et usucap.^{d)} in operibus cap. 64. pag. 395. edit MASCOV.^{e)} in historia iuris libr. I. §. 89.^{f)} dict. lege §. 13.



expresse air, licet eius non sim natus possessionem, nam sufficit, si modo vindicandae rei potestatem habuerim.

§. V.

Secundum chronologicum ordinem iam sequitur **LEX PLAVTIA** seu **PLOTIA**, quae de rebus vi possessis idem fere, quod **ATINIA** de furtiis statuit, vetuit enim illarum rerum usurpcionem, antequam in potestatem domini rediissent, eiusque in manu vitium exuisserent, docente hoc **IVLIANO** a) libro XLIV digestorum. Alii quidem hoc loco legem **MAMILIAM** explicant, sed haec intuitu usurpcionis nihil paene mutauit, sed Ius XII Tabb. ratione spatii intra quinque pedes, adhuc manet in saluo. Ad aetatem legis **PLOTIAE** quod attinet, probabiliter a **P. PLAVTIO** Tribuno plebis est rogata, **M. AEMILIO LEPIDO** et **Q. LYCTATIO CATVLO** cons., **A. V. C. DCLXXV**. Hoc enim anno post interfectionem **LEPIDI**, qui omnia fere, quae a **SVL**LA instituta erant, tollebat, **CATVLVS** victor hanc legem tulit, quod pluribus probat **SIGONIVS** b), et ex eo **HEINECCIVS** c), qui tamen Anno V. C. **DCLXII**, hanc legem attribuit, cum **LEPIDI** et **CATVLI** consulatus, ut iam dictum, potius in **A. V. C. DCLXXV**. incidat. Alii quidem putant, hanc legem latam esse **A. V. C. DCLXIV**. **CN. POMPEIO STRABONE** et **PORCIO CATONE** consil. velut **FARD.** **PRATEIVS** d), **GRAVINA** e), **PIGHIUS** f), et alio loco quoque **HEINECCIVS** g), immo et **CONRA-**

E

DI

- a) l. 33. §. 2. de **Vsurp.** et **Vsurcap.**
- b) in tr. de **Iudiciis** lib. II. cap. 33.
- c) in hist. **Iuris** Lib. I. §. 96.
- d) in tr. de **veteribus populi Rom. legibus**, reperitur in **OTTONIS thefauro** Tom. V. p. 510. e) in **operibus** Tom. II. cap. 65.
- f) in **annal.** Tom. III. p. 228.
- g) in **syntag. antiquitarum** Lib. II. Tit. VI. §. 5.



dia), aliique, sed ob CICERONIS, GELLII et SVETONII loca a SIGONIO citata, eius sententia omnino manet verisimilior.

§. VI.

Sed illud quoque considerandum, quaenam huius legis fuerit sententia? et IULIANVS b) ait: si dominus fundi homines armatos venientes existimauerit, (vbi multi quidem cum CVIACIO et RVSSARDO legunt: eximuerit c), RÜCKE-RVS d) tamen omni cum modestia Florentinam defendit lectionem), atque ita profigerit, quamuis nemo eorum fundum ingressus fuerit: vi deiectus videtur. Sed nihilominus id praedium etiam, antequam in potestatem domini redeat, a bo-nae fidei possessore vscapitur: quia lex PLAVTIA et IULIA ea demum vetuit longa possessione capi, quae vi possessa fuissent: non etiam ex quibus vi quis deiectus fuisset., Ex his videmus, quod, cum ad vscapionem requireretur res non vitiosa (Sect. I §. III.) iam vero ea res, vnde quis vi deiectus, et quae vi possessa est, omnino in se vitium habeat, haec olim vscapione acquiri non potuerit, sed per interpretationem Prudentum introductum est, omnes res, quas ob vitium personae vel rei vscapere erat prohibitum, per longam possessionem posse acquiri, patet, quod etiam rei vi possessae eodem modo dominium adipisci potuerimus. Sed restringitur hocius per legem PLAVTIAM, qua constitutum: vi res vi possessas longa possessione capi non liceat, nisi in potestatem domini redierint. Non frustra dixi: res vi possessas, eae enim res, vnde quis qui-

a) in hist. vscap. p. XXVIII.

b) l. 33. §. 2. de Vsurp. et vscap.

c) conf. NOODT Comment. ad L. IV. T. II. Dig. p. 108.

d) diff. de ciuili et nat. temporis computat. cap. II. §. IX.

quidem vi deiectus est, sed si ab alio bona fide possidebantur,
omnino, docente **IVLIANO**, longa possessione capi poterant.
Male itaque **HEINECCIVS** *a)* et **SIGONIVS** *b)* statuunt: lege
PLAVTIA cautum fuisse, ne praedium, vnde quis vi deiectus sit,
vsucaperetur.

§. VII.

Hanc legem **PLAVTIAM** exceptit **IVLIA**, quae eiusdem tenoris
fuit, et eodem modo rerum vi possessarum vsucaptionem vetu-
it, quare et semper a **ICtis** *c)* et **IVSTINIANO** *d)* iunguntur.
Latam vero esse a **C. IVELO CAESARE** dictatore ex eo coniicio,
quia **CICERO** *e)* huius iam mentionem fecit. Sed ipsam le-
gis sententiam fusius non explico, cum ratione vsucaptionis
idem, quod **PLAVTIA**, statuerit.

§. VIII.

Sequitur lex **SCRIBONIA**, quae de seruitutum vsucapione
ex*in*ctiu agit. Supra iam annotauimus, quod Iureconsulti
etiam seruitutes vsucapi posse permiserint et introduixerint,
sed hac lege interpretatio eorum restringitur. Quonam tem-
pore haec lex sit lata, inter ICtos vsque huc nondum constat,
alii enim, quod sit Plebiscitum, alii, quod sit lex consularis, pu-
tant, mihi tamen prae ceteris placet coniectura **GALVANI** *f)*, qui

E 2

legem

a) in historia Iuris Lib. I. §. 103.

b) in tr. de Iudiciis II. 33.

c) l. 33. §. 2. de vsucap. et usurp.

d) §. 2. I. h. t.

e) Orat. Philip. I. 9.

f) in dissertat. de usufructu cap. XII. n. IV. pag. 113.



legem hanc latam esse a L. SCRIBONIO LIBONE, qui anno ab V. C. DCC XIX. consulatum gesit, et propterea legem esse consulairem, non tribunitiam, sentit. Sed, cum, iudicio MAIAN-
SII ^{a)}, dissertationes GALVANI in genere hoc habeant, ut, cum
sint ingeniosissimae, magno non indigeant ingenio, quo intelli-
gi possint, sic quoque hoc loco optime suam confirmat opinio-
nem, aliorumque sententiam reicit, euoluat itaque illum,
qui plura legere cupit ^{b)}.

§. XI.

Cauſſae, cur per hanc legem ius ciuile mutatum est, plures
ſunt, ait enim PAVLVS ^{c)} ad SABINVM primo quia incorpo-
rales ſunt, eoque ipſo poſſideri non poſſunt, et deinceps
quia tales ſunt, vt non habeant certam continuamque cauſ-
fam. Ambae vero hae rationes doctoribus minime pla-
cent, quod EVER. OTTO in modo laudata dissertatione docet,
ſed verum omnino eſt, quod ibi dicit: vnius rei plures poſſe
dari cauſas, et Iureconsułtos rationibus probabilibus plerum-
que contentos eſſe, ſi de eo, quod iuris certi et explorati eſt,
agunt. Sed vera ſine dubio haec cauſa manet, quia iniquum
videbatur, tam breui temporis ſpatio fundos et aedes dominis
ignorantibus feruituti aliorum ſubiici, et hanc quoque CEL. OT-
TO, ſequutus SCHILTERVM ^{d)}, retinet.

§. X.

^{a)} in epiftolis Lib. V. epift. 5.

^{b)} conf. EVER. OTTO diſſert. de vſu capione ſeruitutum cap. II. §. 4.

Part. I. diſſertat. p. 419. nec non RAEWARDVS ad L. SCRIBONIAM.
cap. I. ibique CONRADI in notis.

^{c)} I. 14. de ſeruitutibus.

^{d)} in Exercitat. ad n. XIIIX. theſ. 5. et 6.



§. X.

Circa sententiam huius legis non vna eademque Eruditis est opinio, alii enim putant, quod omnis seruitutum usuratio hac lege sublata sit, et inter hos reperitur HEINECCIVS *a)* et HAHNIVS *b)*, alii vero statuunt, SCRIBONIVM usurpcionem seruitutum acquisitiuam tantum sustulisse, ita, ut extinctiuā plane non sit prohibita, sed potius cuilibet praedii sui libertatem tempore consueto sibi acquirere adhuc licuerit, et huic opinio-ni GRAVINA *c)*, OTTO *d)*, WIELINGIVS *e)*, CONRADI *f)*, aliquie fauent. Ad me quod attinet, accedo posterioribus, PAV-LVS *g)* enim dicit: „Libertatem seruitutum usurapi posse vere, quia eam usurpcionem sustulit lex Scribonia, quae seruitutem constituebat, non etiam eam, quae libertatem praestat, sublata seruitute, et quamuis verba haec clarissima sint, attamen, ut eo melius intelligatur ipse IVLIVS addit exemplum: Itaque, ait, si cum tibi seruitutem deberem, ne mihi (puta) licet altius aedicare, et per statutum tempus altius aedificatum habuero: sublata erit seruitus.

E 3

SECTIO

- a)* in synteg. antiqu. p. 468. et in hist. Iur. p. 188.
- b)* in orat. de usu chronol. in Iure §. 48. p. 139. in WIELINGII Iuris prud. restitura, imo et RAEVARDVS ad L. Scrib. c. V.
- c)* in operibus Tom. II. cap. 66.
- d)* in disserat. de usurp. seruit.
- e)* in praetermissis ad HAHN. p. 236. in Iurispr. restit.
- f)* in historia usurp. §. XI. et XIII.
- g)* l. 4. §. vlt. de usurp. et usurp.



SECTIO V.

DE VSVCAPIONIS MVTATIONE PER
EDICTVM PRAETORIS.

§. I.

Quamuis SCRIBONIVS nimis durum atque iniquum esse putabat, si fundi et aedes alicuius tam breui spatio temporis, scilicet biennio, ob negligentiam domini seruituti alterius subiicerentur, aequum tamen omnino Praetori videbatur, vt dominus, ob negligentiam per diuturnum tempus commissam, poena afficeretur, ita, vt etiam in seruitutibus aliquando litium finis sit sperandus. Edixit itaque: Si quis diurno vsu et longa quasi possessione seruitutem sit nactus: vt ei necesse non sit docere de iure, quo illa constituta sit: sed vtilem habeat actionem, vt ostendat per annos fere tot, non vi, non clam, non precastio possedisse. Docet hoc VLPIANVS a) lib. LIII ad Edictum, vbi inscriptio legis scil. ad Edictum et vtilis actionis allegatio indicat, Praetorem hoc edixisse; immo alio loco idem DOMITIVS b) ad Edict. libro XLIII refert: „Si lex agri non inueniatur, vicem legis verustatem tenere: sane enim et in seruitutibus hoc idem sequimur, vt vbi seruitus non inuenitur impossita, qui diu vsus est seruitute neque vi, neque precastio, neque clari habuisse longa consuetudine vel ex iure impositam seruitutem videatur.“ PAVLVS c) quoque lib. XLIX ad Edictum docet: quod tria in summa sint, per quae seruitus oriantur, lex, natura loci, vetustas, quae semper pro lege habetur, minuendarum scilicet litium caussa.

§. II.

a) l. 10. π. si seruit. vindic.

b) l. 1. §. fin. π. de aqua et aqu. pluu. arc.

c) l. 2. pr. eod.



§. II.

Requiritur ad hanc praetoris praescriptionem 1.) vt praescribens usum vel quasi possessionem habuerit in fundo alieno, 2.) tanquam seruiente 3.) absque vitio i. e. non vi, clam vel prerecio, et 4.) per tempus diuturnum. Sed inquirendum quoque est, quantum hoc diuturnum tempus fuerit? Sane nullus dubito, quin per hoc tempus, immemoriale intelligendum sit, coniunctim enim ICTI ad hanc seruitutum acquisitionem vestitatem, longam consuetudinem et diutinum usum requirunt, iam vero quod hoc loco vetustas appellatur, idem alio loco tempus cuius memoria non extat, audit, euolue sis POMPONIVM a) et PAVLVM b). Neutiquam itaque hoc tempus Praetoris iudicio relictum erat, sed semper tempus immemoriale requirebatur, ita, vt sufficiat, si modo nullus adsit, qui hoc factum esse scit, vel ab alio, qui memoria tenuit, audiuit c).

§. III.

Haec praetoria praescriptio quoque appellatur anomala 1.) cum nullum certum et definitum tempus ad implendam eam constitutum sit 2.) cum nullus requireretur titulus, quia domini patientia illum supplebat 3.) cum alias possessio esset necessaria, in hac tamen quasi possessio sufficeret, quia res incorporales illius capaces non erant, et 4.) quia talis seruitus iure praetorio acquisita, non vera, sed quasi erat seruitus, ut hoc VLPANVS d) et Imperator ANTONINVS CARACALLA e) docent.

SECTIO

a) l. 3. §. 4 de aqua quotidian.

b) l. 2. §. 7. de aqua et aqu. pluui. arc.

c) l. 2. §. 8. de aqua et aqu. pluui.

d) l. 1. in fin. de aqua et aqu. pluui. l. 5. pen. de itin. aet. priu.

e) l. 1. C. de seruitutibus.



SECTIO VI.

DE VSVCAPIONIS STATV SVB HA- DRIANO AD THEODOSIVM IVNIOREM.

§. I.

Supra iam dixi, quod longae possessionis capio in rebus immobilibus per interpretationem prudentum introducta, nullum vero certum definitumque tempus adhuc statutum fuerit, noua itaque nunc oritur quaestio, quisnam huic praescriptioni legitimum annorum spatium praefinierit? *PAVLVS* *a*) libro VI. Responsorum ait: „Eum, qui in locum emitoris successit, „iisdem defensionibus vi posse, quibus venditor eius vi po- „tuisset: sed et longae possessionis praescriptione, si vtriusque „possessio impletat tempora constitutionibus statuta.” Principum itaque constitutionibus hoc certum praefinitumque spatium at- tribuit, et quantum hoc fuerit, idem *IVLIVS* *b*) vnicus alio loco docet, scilicet decennium inter praesentes et vicennium inter ab- sentes, reliqui ICti in unum omnes simpliciter tantum longae possessionis faciunt mentionem. Cum vero *PRISCVS IAVO- LENVS* antiquissimus fere sit ICtus, qui de longi temporis praescriptione scribit *c*), is vero sub *HADRIANO* vixerit, et ceteri ve- luti *VLPIANVS* *d*), *PAVLVS* *e*), *CAIUS* *f*), ad edictum, sub *HADRIA-*

a) l. 76. §. 1. de contrah. emt.

b) lib. V. sent. tit. II. §. 3.

c) l. 21. de usurp. et usurp.

d) l. 13. §. 1. de Iurejurando.

e) l. 4. §. 22. de usurp. et usurp.

f) l. 54. de euictionibus.

HADRIANI imperio a SALVIO IULIANO conditum *a*), commentati sint, valde exinde fit probabile, quod HADRIANVS quoque longae temporis praescriptioni certum tempus praefinierit, ut res immobilis inter praesentes decem annorum, inter absentes vero viginti annorum tempore praescribi possit, cum tamen olim hoc determinatum non esset.

§. II.

Porro in rebus mobilibus longi temporis praescriptionem introduxit ANTONIVS CARACALLA, cuius rescriptorum mentionem facit AELIUS MARCIANVS *b*) libr. V. Regularum, vbi dicit: „Rescriptis quibusdam DIVI MAGNI ANTONINI ita cauetur, ut in rebus mobilibus locus sit diutinae possessionis. Quod hac lege de ANTONINO CARACALLA sermo sit, recte testatur ABRAH. WIELINGIVS *c*). Cum vero MARCIANVS CARACALLAM diuum appellat, bene omnino coniicitur, eum SEVERI tempora attigisse *d*). Male itaque GVL. GROTIUS *e*) et WIELINGIVS *f*) parum sibi conscius hac in re, aliique putant, eum tempore ANTONINI PII vixisse, nam, si hoc verum esset, sane nescirem, quomodo ad PAPINIANI librum II. de adulteriis notas scribere potuisset, quippe cuius aetas ad SEPTIMIVM SEVERVM Imperatorem referenda est, prout ipse WIELINGIVS docet *g*).

§. III.

MARCIANI opinionem confirmat HERENNIVS MODE.

F STI.

a) conf. EUTROPIVS in breu. hist. rom. Lib VIII. cap. 9.

b) l. 9. de diuers. temp. praescript.

c) in Iurisprud. restituta pag. 375.

d) conf. HEINECCIVS in hist. Iuris Libro I. §. 344.

e) de Vitis ICtorum Lib. II. cap. 9. pag. 170. seq.

f) l. c. in indice ICtorum chronolog. pag. XLII. cf. idem in ind. ICt.

alphabet. pag. LXXXII. not. yy.

g) conf. BRVNQVELLVIS in hist. Part. I. Cap. X. §. LVI. pag. 124.



STINVS ^{a)} lib. VI. differentiarum. Sed certum tempus; quo haec praescriptio absolvebatur, ob inopiam veterum testimoniorum, non constat. Placet tamen coniectura CONRADI ^{b)}, quod rebus mobilibus idem cum immobilibus tempus statutum fuerit, quoniam haec longi temporis praescriptio ad res mobiles, immobilium exemplo, translata fuerit.

§. IV.

Idem Imperator ANTONINVS CARACALLA eo quoque vsucaptionis statutum mutauit, cum omnibus ingenuis, in toro orbe Romano ius ciuitatis per famosissimam suam constitutionem ^{c)} dederit, quod antea ANTONINVS PIUS ^{d)} potentibus tantum concesserat; hoc enim tempore ratione personarum tantum vsucapio augmentum accepit, ut tota illa lex XII Tabularum: *Aduersus hostem aeterna auctoritas esto*, eo ipso per illum sit abrogata, cum nullum amplius discriminem inter peregrinos et Quirites adsit.

SECTIO VII.

DE TEMPORE THEODOSII IVNIORIS AD IVSTINIANVM.

§. I.

Talis vsucaptionis status fuit usque ad THEODOSIVM IVNIOREM, qui in genere, quoad iura, praescriptionem longissimi temporis, puto tricennalem, introduxit. Famosissima eius ex-

stat

- ^{a)} l. 3. de diuers. temp. praescript.
- ^{b)} in historia vsucap. §. XIV.
- ^{c)} l. 17. de statu homin.
- ^{d)} Nov. LXXVIII. cap. 5.

tat constitutio *a*), qua omnes cuiuscunque generis actiones, quae haec tenus perpetuae erant, praescriptione triginta annorum voluit extingui, cum enim iam antea actio in rem specialis tanto temporis spatio consumeretur, constituit, ut eodem modo et uniuersales in rem, personales et hypothecariae, quae usque huc aeternae erant, interirent. *CVIACIVS* quidem putauerat, *THEODOSIVM MAIOREM* legis huius auctorem fuisse, sed optime mutauit sententiam suam, et *IYNIORIS* esse hanc legem, ipse deinde agnouit *b*).

§. II.

Tandem *ANASTASIVS* Imperator in iis actionibus, quae constitutione *THEODOSIANA* enumerata non erant, praescriptionem quadraginta annorum introduxit, ita, ut haec opponi possit, siue de iure priuato, siue de publico, in quacunque persona agatur *c*). Immo et hoc tempore status controv ersiae praescribitur, prout restatur *LEO d*) Imperator, ait enim: *κελένει δὲ καὶ περὶ τύχης ἐνοχόμενου, ἐάν ξύνεν ἐπὶ τεσσαροκονταετῆ χρόνου ἐν την κατασθε, μηκέτι παρενοχλεῖσθαι. i.e praecipit etiam, ut is, cui status controv ersia fit, si quidem per annorum XL, tempus, quadam in conditione manserit, non amplius molestetur.* Sed excipe eum, qui ad curialem conditionem vocatur, hic enim genitale suum statum semper agnoscere debet, et post longissimum quoque tempus reuocatur, adeo, ut praescriptio

F 2

qua-

- a)* l. I. Cod. *THEOD.* de action. certo tempore finiendis. iuncta l. 3. C. Iust. de praescript. 30. vel 40. annorum. conf. Imp. *LEO* in libris *βασιλικῶν* Libro. L. tit. XIV. cap. 3. Tom. VI. pag. 519.
- b)* conf. *EVER. OTTO* in praef. tom. V. et *IAC. GOTHOFR. EDVS* ad Cod. *THEOD.* tom. I. pag. 384.
- c)* l. 4. C. de praescriptione XXX. vel. XL. annorum.
- d)* in libris *βασιλικῶν* lib. L. tit. XIV. et XV. cap. 4. tom. 6 pag. 620.



quadraginta annorum eum nihil iuuet *a*). Cum enim curiali-
um ordo, ob multa magnaonera, sane durus eslet, qui-
libet hunc refugiebat; ne vero quotidie imminueretur, consti-
tutum est, vt liberi curialium eandem conditionem sequi tene-
rentur, ac patres eorum, et illos nulla praescriptio ab eo libe-
ret *b*.)

§. III.

His enarratis, ea, quae in animo habebam, dixisse mihi
videor: exposui omnes circa vsucaptionem mutationes genera-
les, hasque ordine chronologico, speciales enim exceptiones
consulto omisi, cum certe hoc spatiū, dissertationibus statu-
tum, non sufficeret, sed magnum potius volumen requireretur.
Examini eruditorum, has studiorum meorum primitias sub-
iicio, simulque rogo, vt ea, quae perperam dicta sunt,
emendent, melioraque me doceant.

F I N I S.

- a)* ANASTASIVS in l. 5. C. de praescript. XXX. vel XL. annorum.
b) conf. M. AVG. CAMPIANVS de officio et potestate magistratum
romanorum Lib. I. pag. 63. seqq.



Wittenberg, Diss., 1756-58





Q. D. B. V.

DISSERTATIO HISTORICO-IVRIDICA

DE

**EVCAPIONIS STATV
EVNDVM ORDINEM CHRONOLOGI
CVM A XII TABVLIS AD TEMPORA
IVSTINIANI**

QVAM

PRAESIDE

DREA FLORENTE RIVINO D
NTISSIMI SARMATARVM REGIS ET ELECTOR.
N. CONSIL. AVLICO DIGESTI VETER. PROF.
BL. ORDIN. CVR. PROVINC. CONSIST. ECCLES.
ET SCABIN. ITEMQE ORDIN. IVR. VITEMB.
ASSESSORE

D. APRIL. CIC 10CC LVI

IN AVDITORIO ICTORVM

T V E B I T V R
AVCTOR DEFENSVRVS

**VSTVS GOTTHELFF SCHMVCKIVS
BVDISSINENSIS**

*VITEMBERGAE
TYPIS IO. SAM. GERDESII.*